

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[De Hortatur Militem Saeculi Ut Christo Militet]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C sint fratres, absint ab hoc conuentu tales uigiliae. Sit potius uigilantium pectus clausum diabolo, apertum Christo: ut quem labijs sonamus, corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles nostrae uigiliae: tunc pernoctatio salutaris erit: si competenti diligentia & deuotione sincera, ministerium nostrum, diuinis obtutibus offeratur. Haec de uigiliarum autoritate & antiquitate, necnon utilitate dicta sufficiant. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis: Amen.

CENSURA EPISTOLAE SEQVENTIS.

Ipsa phrasis indicat hanc eiusdem authoris esse, cuius est quae proxime praecessit. Nempe Paulini.

HORTATUR MILITEM SAECULI UT CHRISTO MILITET.



S T si ignotus tibi sim facie, iam tamen te corde cognoui: quia filius meus in dño charissimus Victor, referens mihi religiosam uitam tuam: fecit ut te (quous absentem) cognoscerem, & sicut consortem futurum in Christo diligere inciperem. Retulit enim mihi quomodo & in militia saeculari (in qua adhuc tu teneris) socius & secutor contubernij tui fuerit. Vnde magis praesumpsi scribere ad te per ipsum. Spero etenim te ex eadem uia ad uiam nostram esse uenturum. Quandoquidem istum de tuis socijs ad nos praemisisti: quem pro pigmore tuo ecclesia tenet, ut te post eum capiat. Nihil em̄ est bñdicte fili, quod possit aut debeat praeferi ei, qui est uerus dominus, & uerus pater & imperator aeternus. Cui enim rectius uitam nostram impendimus, quā illi a quo accepimus, & cui eam usq; in finem debemus: quia ipsius beneficio uiuimus. Si tamen in hoc saeculo ipsi militauerimus: tunc ad ipsum transire merebimur. Quod si magis dilexerimus hoc saeculum, & maluerimus Caesari militare quā Christo: postea non ad Christum, sed ad gehennam transferemur: ubi principum huius saeculi uertitur caussa. Ideo nec affectum, nec patriam, nec honores, nec diuitias deo praeferre debemus: quia scriptum est: Praeterit huius mundi figura. Et, qui hunc mundum dilexerint, cum ipso & peribunt. Ideo ipse dominus in euangelio contestatur & dicit: Qui amat patrem aut matrem plus quā me, non est me dignus. Et qui nō accipit crucē suā & sequitur me: nō potest meus esse discipulus. De diuitijs autē saeculi huius: quas quidā pro summo bono, & necessario amplectuntur & diligūt, ita dicit: Quia non proderunt thesauri iniquis: iusticia autē eripit a morte. Et iterū per prophetam dicit: Exterminati sunt oēs qui exaltati fuerant auro & argēto. In euangelio quoq; clamat atq; p̄damnat diuites saeculi, dicēs: Vae uobis diuitibus, quia habetis cōsolationē uestrā. Vae uobis qui saturati estis, quia esurietis. Vae uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Noli ergo diutius diligere hunc mundum, neq; militiam eius, quia secundum scripturae auctoritatem inimicus dei est, quicumq; est amicus saeculi. Et qui militat gladio, mortis minister est. Qui autē suum uel alienum sanguinem fundit, hic recipiet fructum stipendiorum. Aut enim exitij mortis tenebitur reus, aut criminis. Quia necesse est, ut miles in bello: in quo tamen nō tam pro se quā p̄ alio dimicat, aut suam mortē uictus inueniat, aut mortis causam uictor acquirat: quia uictor esse non poterit, si effusor sanguinis ante nō fuerit. Ideo dicit dominus: Non potestis duobus dominis seruire. Sed quia uni deo seruiendum est, facile puto posse discerni: cui potius serui debeat: deo an mammonae, Christo an Caesari: cū ipse Caesar Christi seruus studeat esse: ut aliquarum gentium rex esse mereatur. Neq; enim quicumq; rex terrenus, totius terrae dominus est. Christus autem totius mundi rex est: quia omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Et ipse est rex regum, & dominus dominantium: & in terris, in mari, in abyssis omnia quae uult facit. Hunc igitur sequamur: huic militemus: cui coniunctus nunq; disiungitur miles, qui militantibus sibi, gloriam uitae aeternae, honorem regni coelestis, & diuitias hereditatis suae, & diuinæ cognitionis consortium perenne largitur. Scriptum est autem: Qui pecuniam diligit, non iustificabitur: & qui terrenas possessiones concupiscit, in illis (sicut scriptum est) implanabitur. Nam in Ecclesiastico per Salomonem loquitur diuina sapiētia: Quia multi periclitati sunt auri causa: & facta est in facie illius perditio ipsorum. Lignū, inquit, offensionis eius est aurum: & deriicit illos qui sectantur illud. Sed nō omnis nisi imprudens disperiet in illo. Quāobrē fuge ab illo fili, sicut a facie serpentis, credens Christo: qui in euāgelio testatur oibus hoibus: Quia nō in abundantia

A abundantia cuiusque uita eius est, ex his quae possidet. Sed te forsitan aetatis tuae fiducia, & stipēs dignitatum, uel diuitiarum augmenta sollicitant, ut dicas: adhuc iuuenis sum, est nunc tempus ut parumper militem, & uxorem ducam, & filios habeam, & postea deo seruiam. Ad haec tibi responderet: non ego, sed dominus: qui loquitur in prophetis & apostolis suis: & Sapiens dicit: Ne tardaueris conuerti ad dominum, nec differas de die in diem, ne subito ueniat ira illius. In euangelio autem quo ardore properandum sit ad conuersionem, ostendit cum dicit: A diebus autem Iohannis usque ad hodiernum diem, uim patitur regnum caelorum: & qui uim faciunt rapiunt illud. Talis uiolentia deo grata est, quae neminem concutit, nullius damno committitur. In hanc rapinam manus tuas uerte, quae crimen non habet & confert salutem. Et quid tibi militarium stipendiorum curationes, cum inuidia uolentiae curare: cum forsitan pro tua honestate etiam debitorum moderatus exactor sis: cum sine cuiusque inuidia, & cum dei gratia possis esse uolentus: ut rapias regnum caelorum: quod sibi auferri patitur, & gaudet Christus inuadi: qui pro abundantia charitatis & potentiae suae capax est largiendi quod tenet, & quod donauerit obtinendi: Nam quando sanctis suis in regno suo regnare concesserit: ipse regnabit in illis quos consortes regni caelestis assumpserit. Scriptum est enim: Et regnum dei cum sanctis fore: & ipsos sanctos esse regnum dei: quod propitio deo cum conuersus fueris, & legendo cognosces, & credendo intelliges. De aetatis autem flore primo quis audeat gloriari? Admonet diuina scriptura, dicens: Omnis caro fenum est, & omnis claritas eius, ut flos feni. Aruit fenum & flos decidit: sermo autem domini manet in aeternum. Ideo propheta, illa potius in quibus aeterna corporis rediuiui gloria post resurrectionem possit manere, desiderans clamat: Quam amabilia sunt tabernacula tua domine uirtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Et de uinculis coniugalibus & ceteris temporalium rerum tam spinosis quam inanibus curis, Apostolus (in quo Christus loquitur) admonet, ne in longum huius saeculi tempus irrita uota mittamus: & cognoscere nos iubet: quia

B tempus breuiatum est, & dicit: Reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes. Quod cum dicit: ostendit liberos non debere implicari: quandoquidem liberari suadeat impeditos. Si ergo iam forsitan alligatus es uxori: noli querere solutionem. Quod si adhuc liber es ab uxore: noli querere implicationem. Non enim Apostolus propter coniugii condemnationem hoc dicit: quandoquidem huius foederis religionem, magno Christi & ecclesiae sacramento comparat: sed propter instantem necessitatem bonum esse asserens hominem sic esse quemadmodum ipse erat. Volo, inquit, uos sine sollicitudine esse: hoc est ut nihil propter deum & salutem nostram cogitemus. Nam uxor & filii, tanquam & ipsa diuinitus nobis pignora data sint, tamen grauissimarum curarum onera sunt. Unde idem Apostolus ait: Quia tribulationem carnis habebunt huiusmodi: quia necessitudinis nostrae carnes, quanto chariores nobis sunt, tanto magis nos discruciant & fatigant. Nam uxore accepta, primum optant filii: & si non suscipiuntur, sterilitas luget: si suscipiuntur, orbitas timetur. Ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus, ita requiescit animus ut cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi uoto: in utroque miseris sustinendis semper obnoxius. Miser est enim qui uxorem bonam perdit, miserior qui malam possidet. Inter haec duo accidentia, satis felicius est qui utrumque non nouit. Similiter & de filiis: sapissime enim sunt miserrimi parentes, uel qui amabiles habent quibus orbantur: uel qui tales habent, ut non habentibus inuidere cogantur. Audi ergo fili mi & inclina aurem tuam mihi: & disrumpe omnia uincula tua quaecumque in hoc saeculo te implicatum tenent: commuta in melius militiam: ut aeterno regi incipias militare. Et nunc ut audio, qui adiutor & tutator es ciuium, fias comes Christi. Deinde in hac militia soletis in uotis habere hanc officij promotionem, ut protectores efficiamini. Si autem deo te probaueris: ipsum deum incipies habere protectorem. Vide ad qualem militiam te inuito collegam: ut quod homini esse optas, hoc tibi deus sit. Quem si coeperis sequi: & in eius comitiua inceperis militare, finis militiae tuae erit regnum, non terrae & temporis, sed aeternitatis & caeli.